

366.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielms. 366 8° (LN 773)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 366 8° (LN 773)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 366 8° (LN 773)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 366 8° (LN 773)

Nº 366.



St. Martin's Art




L.N. 773

H

ASSERTIONES
DE
OPERIBVS
QVINTI PRAECEPTI,
Propositæ in disputati-
onem.

à
Nicolao Hemmingio,
in Martio. Anno.

1571.



Haffniæ,
Excudebat Laurentius
Benedictus.

1571.

J



ser
lum

com
Soc
quo
tae

Op
an

tuta
ces
rect
hunc
bus



1.
 *T opera bona quintæ legis à sincera dilectione proximi manant, ita ad iustum & legitimam personæ proximi conservationem & societatis humanae incolumitatem referuntur.*

2.
Dilectio ergo Proximi & eiusdem conseruatio (vndē pendet incolumitas Societatis huminæ) limites sunt, intrā quos opera huius præcepti proximo debita claudentur.

3.
Hac constituta regula facilius erit & promptius colligere quæ opera Deus à nobis hac quinta lege requirat.

4.
Verum quia opera illa certarum virtutum sunt cætiones, quæ virtutes rectrices & moderatrices actionum sunt, iuxta rectam rationem, de virtutibus ipsis huius præcepti proprijs, earumq; actionibus agemus. A 2 *Etsi*

5.

Etsi autem alij aliter virtutes huius præceptj digerunt, quorum quidem diligentiam laudo, tamen ut nos intrà limites à nobis positos contineamur, omnes virtutes huius quintj Præcepti sub benevolentia & beneficentia concludamus. Nihil enim hoc præceptum requirit quod non alterutra harum virtutum contineatur.

Dè benevolentia.

6.

Benevolentia est veluti Primus riulus, manans à dilectionis fonte. Nam ejus quem diligimus, hoc est charum habemus, benè quoque velimus necesse est.

7.

Hanc benevolentiam tanquam ~~an~~ nouðæ excipiunt hæ virtutes: Candor, amicitia, humanitas, concordia.

8.

Candor sinceritas & puritas quædam animi est, quæ ut non admittit ullas

si

sinistras suspiciones dè persona proximi
sine evidenti probatione: ita Vituperabi-
lia in proximo non virtutum larua indu-
it: sed vicia esse vicia iudicat, quod qui
non facit, non solum Deo & naturæ legi
aduersatur, verum etiam sano iudicio de-
stitutus esse consendus est.

9.

Quid enim turpius esse potest, quam
schapham ligonem, & ligonem scha-
pham appellare, hoc est vicia, larua vir-
tutum ornare, & virtutes viciorum cæno
deformare?

10.

Amicitia reciproca bonorum inter se
benevolentia est, & voluntas sibi inuicem
benefaciendi, ex vera pietate & virtute
manans.

11.

Amicitia enim illa, quæ vel ἐκαδονᾶς,
vel ἐν ταρσοῖς (vt Hippodamus Loqui-
tur) ortum habet, deficiente voluptate,
& cessantibus beneficijs reciprocis inter-
moritur.

A 3

Vera

12.

Vera proinde & homine digna amicitia peitate & virtute conciliata comitate conditur, grauitate firmarur, constantia & fide conseruatur, συμωθεία probatur, & mutuis officijs continuatur.

13.

Humanitas latius se extendit, quæ & naturæ facilitatem, & morum suavitatem complectitur.

14.

Hæc maximè sibi animos hominum conciliare solet, facile ignoscit, communem fragilitatem cogitat, vndè comicum illud: homo sum, humani à me nihil alienum puto.

15.

Grecè admodum significance vocabulo dictur φιλαυθεωσία, quam Plato definit εξιν εὐεγγῆτην τῶν ἀνθρώπων, Hanc Paulus Tito scribens Deo tribuit. Digna propterea homine, ut qui & homo sit, & ad Dei imaginem conditus, ut ipsum imitetur.

Con-

16.

Concordia siue à citharæ chordis, siue à plurium cordium vinculo dicitur, laudatissima virtus est, qua vt quidam rectè ait, paruæ res crescunt.

17.

Hæc virtus vt mutuam benevolentiam fouet, ita maiores, pares, minores respicit, & συμφωνία quadam ordinum & omnium statuum inter se, tanquam omnium dulcissima Musica summè delectatur. Nam vt citharæ sonus tum demum iuccundus est, quandò ita intenduntur & remittuntur chordæ, & arte trahuntur ad harmoniæ regulam, vt vnum iustum et suauem concentum efficiant: ita animi bonorum concordia mutua delectantur, vnde apud Græcos nomen accepit ομονοίας quo significatur animorum summus consensus.

DE BENFI
centia.

A 4

Bene

18.

Beneficentia id præstat opera, quod
benevolentia animo concepit. Hanc di-
cunt coniunctam esse cum iustitia, per
hanc enim iustitia suum munus exequi-
tur.

19.

Siquidem iustitia, ut præclare dicit
Bernardus, maioribus reuerentiam &
obedientiam: æqualibus consilium &
auxilium: inferioribus custodiam & di-
sciplinam, hoc est singulis τὰ καθήκοντα red-
dit.

20.

Etsi autem hæc verè dicuntur, ta-
men ut magis sit nobis vis beneficentiae
perspecta, quam hæc quinta lex postulat,
subijciam beneficentiae ut ἀκολουθα quæ-
dam, mansuetudinem, ἐπιεικειαν, fortitu-
dinem, Zelum, Liberalitatem, & mise-
ricordiam.

21.

Mansuetudine benefacit proximo
qui

qui iniuria affectus, ira eruentis ad vindictam impetum ita retinet, ut crudelitate in proximum, qui offendit, non se uiat, & aliquid indignum iustitia temere committat.

22.

Etsi autem ira naturalis affectus est, insurgens aduersus ea quae virtutj aduersatur, & ea propugnans quae à ratione monstrantur esse bona & laudabilia, tamen in vicio est quaudò rectam rationem non sequitur, sed ruit cæco impetu in eum qui offendit, extra iustitiæ limites.

23.

Sed illa demum ira laudabilis est, quae ex bona causa procedit, & tendit moderatè & iuste in bonum aliquem finem. Talis ira & motus animi ad coherencendā peccata insurgentis fuit in Mose, Elia, Christo, Paulo, absque vicio.

24.

πειρία sumum ius moderatur, & cedit ob causæ circumstantias severæ iustitiae:

A 5

tiæ:

*tie: Dicitur autem ἐπικρίταια quasi ἐπιτίθεσις
τηνούσα τῷ νομίμῳ.*

25.

*Est autem hæc ἐπικρίταια duplex, Publica & priuata, illa iudicis personam su-
stimentis, hæc hominis cuiusvis priua-
tim agentis est.*

26.

*Publica ἐπικρίταια est qua iudex flectit
legem ad causam, & non causam ad le-
gem. Ut enim figura lapidis in structura
lesbia mutata, mutatur & norma: ita
causa pro circumstantiarum conditione
variante, variat & mens legis ἐπικρίταια.*

27.

*Flectitur ergo lex ad causam quando
non spectatur τὸ ἀντιθετικόν, sed mens
& voluntas legis accommodatur cause, cō-
trà vero causa ad legem flectitur, quando
retinetur in indicando τὸ ἀντιθετικόν, &
nulla ἐπικρίταια propter circumstantias ad-
mittitur, & tunc summum ius fit sum-
ma iniuria.*

Pri-

28.

Priuata & ~~publica~~ tolerat infirmitatem proximi, tegit arcana errata, sanat manifesta delicta, doctrina, consilio, admonitione, fraterna obiurgatione.

29.

Fortitudo proximo commodans etiam duplex est videlicet publica & priuata, illa magistratus, hæc singulorum priuatim.

30.

Fortitudo in magistratu, iustitiae propugnatrix ratione ad vindictam prosperat, & finem habet conseruationem humanæ societatis, idque per defensionem veræ religionis, veræq; virtutis, & op-pugnationem falsæ religionis, & vicio-rum grassantium repressionem.

31.

Frritudo priuata est cum singuli iniecto animo potius ferunt iniuriam, quam ut iniuste se vlciscantur de proximo, hæc etiam patientia dicitur.

Zelus

32.

*Zelus & si in Genere est cuiusvis af-
fectus vehementior æstuatio, tamen hic
solummodo dè eo zelo agimus, quæ bene-
ficiæ erga proximum ut pars quedam
subiicitur.*

33.

*Est ergò hic zelus affectus vehe-
mens quo iustè indignamur aduersus con-
tumaciam in atrocibus sceleribus, quò
contumacia repressa alij tranquillè
vivant, & unitas societatis conserue-
tur.*

34.

*Hic Zelus tum demum est lauda-
bilis, quandò excitatus ab Heroico mo-
tu in magistratu vindice scelerum, vel
à spiritu sancto ortus, secundum scien-
tiā tempestiuè exercetur in gloriam
Dei, qualis conspicitur in Mose, in Phi-
nee, Etia, in Christo, in Paulo.*

35.

*Liberalitas quæ ελευθερία & Græcè di-
citur,*

citur, est munificentia propriè magnorum & liberorum hominum, qua iuvant & ornant ordines & status hominum suis facultatibus, ut benè mereri videantur de societate humana. Huic cum prælucet pittas vera ut in Salomone, Davide, Iosia, laudabilis est. Contrà verò si ab animo inanis Gloriæ cupido proficiuntur, in vicio est.

36.

Misericordia erga proximum affectus homine dignissimus, est συμπάθεια qua tangimur aliena miseria tanquam nostra propria, quaq. eius miseriæ nostris bonis succurrimus. Breuiter, Misericordia est affectus ipse miserendi, & quicquid officij ex hoc affectu miseris & afflictis pie iusteque præstatur. Et dicitur in scripiuris interdum δικαιοτύς, ut sciamus eleemosynam non esse liberum beneficium, sed debitum officium.

37.

Consistit autem hæc misericordia in
duo-

duobus, scilicet in remittendo & dando.

38.

Misericordia in remittendo positâ est, quæ vel pauperj debitum quod non est soluendo, nisi attrahat sibi miseriam, condonat, vel ej qui offendit, veniamque precatar offendam remittit modo id piè & utiliter fierj possit.

39.

Misericordia quæ in dando cernitur, ignorantî communicat doctrinam, aberrantj correctionem, dubitanti consilium, tristi consolationem, esurientj cibum, sitienti potum, nudo uestes, vago domum. Breuiter: omnij misero & afflicto quantum potest succurrit.

40.

Hanc dominus, ex Ose 6. testimoniū adducens, anteponit sacrificio, cum ait: Profecti discite quid sit: misericordiam volo & non sacrificium.

41.


Autor epistolæ ad Hebræos elemosynam

nam valde placere deo testatur, cum in-
quit: Beneficentiae & communicationis
ne ocluiscamini, talibus enim victimis
delectatur Deus.

42.

Verum hoc accipiendum est de ele-
mosyna quae praestatur a Publicano, &
non a Phariseo, id est quae praestatnr a
pijs ad Deum conuersis, & non ab impijs
hypocritis. Nam horum eleemosyna, et si
usu valet, cultu tamen est viciosa &
abominabilis coram Deo, Quicquid enim
non fit ex fide peccatum est: Ut potè
profectum ab ijs quorum & mens
& conscientia polluta est, &
aberrans a debito
fine.





366.